

## DEMONSTRATIO XXIX.

Aer particulas varii generis salinas in sinu fovet.

### *Experimenta.*

1. Caput mortuum aluminis insipidum, five alumen ustum & falsedine sua privatum, si per aliquot dies exponatur aeri libero & seren, non modo manifesta falsedine rursus imbuitur, sed & ponderis augmentum capit.

2. Cineres clavellati soluti diu aeri expositi mutantur in sal nitrosum, quod cum spiritu vitrioli parum effervescit odore emergente aquæ fortis.

3. Cineres clavellati diu aeri expositi in sal neutrum tartaro vitriolato simile degenerarunt, quod ab ipsis commode separari potest, & amaricantis est saporis, figuræ hexangularis.

4. Minera martis Hassiaca, item marcasita Anglicana, quando aeri libero & pluviae diu exponitur, convertitur in vitriolum martis elegantissimum.

5. Syrupus violarum & papaveris rh. addito oleo tartari viridis factus, amittit hunc colorem, si mixtura per aliquot dies stat in aere libero, quod neutiquam accidit si in vacuo illud peragatur.

## DEMONSTRATIO XXX.

Aer ad intimam mixtionem corporum valde est necessarius.

### *Experimenta.*

1. Spiritus igneus, qui cum oleo tartari mixtus in libero aere luculentissimam producit flammam, nullam non modo producit, neque etiam intensiorem ebulli-